



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio VI. De actibus voluntatis in particulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

INSTABIS. Potest voluntas delectari de cognitione directa, non cognita per aliam reflexam, Ergo & de quocunque objecto, non cognito.

RESPONDETUR. Antecedens esse verum;

quia adhuc salvatur, quod non sit quidquam volitum, nisi cognitum ut experitur, per notitiam experimentalem, ipse volens, suam volitionem; hoc autem non salvaretur, si sine prævia intellectione, veller aliquid voluntas.

DISPUTATIO VI.

De Actibus voluntatis in particulari.

HÆc Materia multas habet difficultates, quæ hic non possunt expediti, sed reliqua in Prima Secundæ tractantur, quanquam & hæ ipsæ, quæ hic adferentur, à non paucis tractantur dicto loco.

QUÆSTIO I.

De Intentione & Electione.

PRÆMITTO I. Post propositum objectum voluntati, primus est actus inefficax, seu Complacentia, quem postea subsequitur actus efficax seu amor. Hic amor, attingit non restrictam aliquam rationem bonitatis, nam reliqui omnes actus prosecutionis ad restrictum bonum attendunt v. gr. desiderium ad bonitatem restrictam futuritione, & quia restricta sunt magis universalia, & universaliora, sint cæteris priora, sit, ut actus ille voluntatis, qui est amor, sit prior reliquis actibus prosecutionis. Et certe sicut actus reflexi, fundantur in directo, sic & actus alii prosecutionis, in amore, cum pro ratione reliquorum actuum prosecutionis reddi possit ipse amor. Et sic desideramus quia amamus, gaudemus quia amamus &c. similia. Amorem immediate sequitur desiderium, quod est Causa, ut potentia, moveatur ad bonum, & est instrumentum boni, volentis trahere voluntatem, & hoc quidem desiderium, in quantum attingit finem, vocatur Intentio, in quantum attingit media, vocatur Electio.

PRÆMITTO II. Casu quo proponatur solum bonum ab intellectu, mereaturque amorem à voluntate elicitum, si non proponantur simul media, dupliciter se posse habere voluntatem. I. Ut ex vi illius desiderii & illius actus, quem pro tunc habet, parata sit eligere media, si sibi ab intellectu proponantur & tale desiderium appellari potest, non quidem formalis, virtualis tamen Intentio; vi enim illius actus, paratus est volens, exire in ulteriorem actum, qui constituat formalem Intentionem, censetur enim Intentio in illo actu inclusa, tanquam in Causa, adeoque virtualiter.

II. Potest ita se habere voluntas respectu Objecti, ut vi illius desiderii, quod tunc habet, non sit parata procedere ad inquisitionem mediorum; & tale desiderium, nec formalis, nec virtualis intentio appellari potest.

PRÆMITTO III. Dari posse aliquem actum voluntatis, qui sit Intentio Objecti obtinendi, ut etiam advenit Oviedo, & tamen sit sine ulla inquisitione mediorum.

RATIO. Quia fieri potest, ut aliquis moveatur honestate actus eliciendi, circa bonum honestum, quo casu, finis erit elicere actum illum, ad quem tamen finem obtinendum, non est necesse quærere media, quia ille actus, immediate supponitur esse in potestate elicientis. Rursus fieri potest ut aliquis pro fine habeat ipsam intentionem eliciendam, sed ad intentionem eliciendam, non est necesse habere media, quia hæc non antecedunt sed subsequuntur Intentionem, vocari autem illum actum posse intentionem, inter alia ex eo docet Oviedo, quia scilicet inquireret media, si essent necessaria.

PRÆMITTO IV. Intentionem in vi intentionis non constitui connotatione mediorum formalis. Hoc præmissum, supponit possibile esse, ut distincto actu finis appetatur, distincto media, adeoque quod sit distinctus actus intentio, & electio, supponit rursus, posito illo priori actu, posse DEUM denegare concursum ad electionem. His duobus positis:

RATIO. Præmissi formatur. Ille actus prior vel est intentio, vel non, si non est intentio, nec accessu alius actus, erit intentio, quia alio actu accedente, simpliciter jam prior ille desinit, si ergo non fuit intentio antequam desineret, neque erit intentio postquam desit; si autem intentio, est intentio antequam accedat electio, Ergo intentio quæ talis, non constituitur, ex vi formalis electionis, nec ex vi formalis connotationis mediorum.

RESPONDEBIS I. Ex accidenti hoc esse, quod illic non sequatur electio, per se autem se qui deberet.

CON.

CONTRA EST. Quia non sequente per accidens electione, si adhuc essentia intentionis manet, Ergo apparet essentialem connexionem, non dici ab intentione cum electione formali, sicut si per accidens rationale hominis, non comitaretur risibile, bene inferretur, non esse risibile essentialiter connexum cum rationali.

RESPONDEBIS secundò. Cum intentio imperet electionem non nisi tanquam connotatum, non est necesse tunc existere connotationem.

CONTRA EST. Quia falsò assumitur, quòd si exigatur electio tanquam connotatum, hoc ipso jam non sit necesse existere illud connotatum, certè enim tempus vespertinum exigitur à cœna tanquam connotatum, & tamen non potest esse cœna, sine tempore vespertino.

RESPONDEBIS tertio. Sufficere ut intentioni quantum ex illa, sit apta necesse cum electione.

CONTRA. Hoc adferendo, nihil dicitur contra præmissum, immo hoc vult præmissum, nam propter illam proximam aptitudinem nexus cum electione, ponitur ille actus in ratione boni, per modum finis amati. Casu autem, quo intendatur finis & advertantur in consequenti media ad illum finem esse impossibilia, involvetur tunc suo modo non quidem formalis, materialis tamen, eaque conditionata electio.

PRÆMITTO quintò. *Quid sentiendum sit de conditionata intentione.* Et quidem potest aliquid intendere voluntas sub conditione. Primò non ponendo actus illa conditione significatos, v.g. vellem tibi dare librum si peteres, quo casu actus sub illa conditione significatus, est volitio donandi, quæ hinc non est, sed esset si peteret, potestque hæc voluntas appellari conditionata ex parte actus & ex parte objecti. Secundò potest intendere aliquid & quidem efficaciter, ponendo ipsos actus illa conditione significatos, sed non nisi intendendo objectum sub conditione v.g. dicendo: volo dare tibi librum, si petieris, quo casu, vult dare librum absolute quoad Entitatem actus, habetque pro objecto dationem, sed conditionatam, sunt autem hi duo actus per hoc distincti: quia prior ille, pro objecto habet & volitione dandi ponendam, & ipsam dationem libri, posterior autem habet pro objecto, non nisi dationem libri. Deinde, quia ille prior potest negare, se habere volitionem dandi libri, sed tantum, quòd habeat volitionem, de volitione habenda, dandi libri, secundus autem actus, importat esse volitionis. Tertio uterque hic actus, vel potest esse circa conditionem possibilem, vel circa conditionem impossibilem, conditio possibilis, est conditio

non repugnans, conditio autem impossibilis seu repugnans, adhuc est multiplex, aut enim est impossibilis in re, præsentatur tamen ut possibilis, & sic de illa discurrendum ac de conditione possibili, nam ita vestitum impossibile, meretur actus, quos alias meretur possibile objectum. Aliud autem est impossibilis conditio, etiam representata ut impossibilis, quod adhuc dupliciter fieri potest; Velenim est impossibilis moraliter, vel impossibilis absolute, si representatur ut impossibilis absolute, & sub ratione impossibilis, tunc est ostensio, quod nolit aliquid fieri volens, ut si dicat, tunc tibi reconciliabor, quando Chymæra erit medicus. Si autem representatur ut impossibilis moraliter, tunc ostenditur, non poni actum, posse tamen, licet difficulter poni, ut si dicat aliquis inimico, cæteroqui homini inepto & indigno: Reconciliabor tibi, cum fueris Episcopus.

Cæterum impossibile, vel est tale, ut contineat in se aliquid possibilitatis actusque ipse est ita energicus, ut extendat se, ad inclusa possibilia, vel certè impossibile est tale, ut nihil contineat in se, ad quod, tanquam possibile, possit se extendere actus. Prioris actus exemplum est: vellem te esse immortalem, ubi actus extenditur, ad possibiles plures annos, inclusos in immortalitate. Posterioris actus exemplum est, vellem te satiari Chymæra, qui actus ostendit, quòd nihil illum comedere velis sed semper famescere. Quomodo autem ad priorem actum revocetur; Vellem non peccasse, actus ille solennis penitentium, de hoc tractatur in materia de penitentia.

PRÆMITTO sexto. *Intentionem non aliud esse, nisi desiderium efficax, consequendi finis* qui actus per efficaciam distinguitur à simplici complacentia. Non dico autem intentionem, debere esse volitionem efficacem consequendi finis per media propter adlata superius. Electio autem est volitio efficax mediorum propter finem intentum, quæ media, si in confuso non nisi noscantur, erit electio imperfecta, si cognoscantur clarè, erit electio perfecta.

Porro de amore alicujus boni, dupliciter discurre possumus? Primò in quantum est amor boni, qui nec formaliter vult media, nec virtualiter, virtualitate supra explicata. Hic actus versatur circa solam bonitatem objecti, nullo modo dici debet intentio. Tum quia non habebit jam, per quid constituarur in intentione, prout illa condistinguitur, formalitatem amoris. Tum quia intentio quatalis, importat amorem boni, sub formalitate consecutionis, sed in illo actu, nihil est, quod bonum qua consequibile attingat, hoc enim ipso, non ad præcisam bonitatem attenderet. Tum quia intentio, est causa

† (T)

electio-

electionis, actus autem prædictus, non est causa electionis, stat enim in solo amoroso actu objecti. Hujus actus exemplum est, quo aliquis dicit Amo DEUM super omnia, hic actus distinguitur à simplici cōplacentia, quia simplex cōplacentia in Dei bonitate stare potest cum peccato, actus autem ille non potest stare. Per ipsam ergo talē efficaciam, distinguitur rectē à cōplacentia, distinguitur autē idem actus ab intentione, quia non versatur circa bonum, sub formalitate consecutionis, nec ullo modo promover ad electionem. Per hoc tamen non nego, quod ille actus, possit habere rationem finis, & intendi, adeoque desiderari, sed aliud est, an actus ille sit intentio & desiderium, & aliud, an actus ille, possit esse objectum desiderii & intentionis, & hoc solum in prædicto actu verificatur. Secundo spectari potest amor, in quantum est intentio finis per media consequendi, & ipsa etiam electio, in quantum est medium utile ad finem, & sic neutrum horum potest dari sine respectu ad invicem, important enim habitudinem ad se.

PRÆMITTO septimò. *Electiōnem formalem non posse esse sine actuali habitudine ad finem consequendum*, expressè id docet S. Thomas prima secundæ quæst. 8. ad secundam.

RATIO præmissi, quia illud medium, vel amatur amore tendente ad bonitatem quæ habetur in illo, vel amatur propter bonitatem, quam habet ad consequendum finem, si amatur propter bonitatem, quam habet in se, Ergo non amatur tanquam medium, sed tanquam finis, de quo hic non procedit quæstio. Quod si amatur propter bonitatem, quam habet ad finem, Ergo amatur relatē ad finem, Ergo dicitur habitudinem actualem ad finem. Deinde medium debet importare id, quod essentialiter dicit, sed medium quā medium, essentialiter dicit habitudinem ad finem Ergo. His tanquam facilioribus præmissis sit

DIFFICULTAS I.

An eodem actu possit velle Voluntas Media & finem, æquē directē?

DICENDUM EST *affirmativè*. Est Conclusio utriusque Suares, Amici Tomo 3. disp. 5. sect. 1. Oviedi hic num. 3. contra Vasquez Ruiz & alios.

PROBATUR primò ab Amico. Quotiescunque duo ita se habent, ut unum sit ratio formalis primaria, propter quam cognoscatur vel appetatur aliud, utrumque potest eodem actu cognosci, sed ita se habent finis &

media, Ergo. Majorem probat, quia illud quod est primum, habet se tanquam ratio formalis, & quod est secundarium, tanquam ratio materialis, actus autem potest æquē primò in objectum materiale & formale cadere. Ita visio, æquē primò cadit in colorem & lucem, visio beatifica, æquē primò fertur in creaturas in DEO visas, & in DEUM tanquam objectum formale &c. & sicut intellectus potest, æquē primò in duo objecta tendere, sic & voluntas, cum non minus circa suum objectum efficax sit & universalis voluntas, æquē ac intellectus.

PROBAT. secundò recentior Suares, voluntas eodem indivisibili actu amat finem Qui, & finem Cui, Ergo eodem actu, poterit amare finem propter se, & media propter finem.

Utraque hæc ratio probat, posse amari uno actu finem & media, sed non probant æquē primò posse amari. Paritas adlata ab Amico de sensibus, nihil evincit, quia non est sensum indirectē attingere objectum, cum tamen hoc competat intellectualibus, possetque etiam negari, æquē primò materiale & formale objectum debere attingi. *Hinc aliter.*

PROBATUR tertio Conclusio. Potest intellectus formare hanc propositionem uno actu, hic finis & hæc media sunt bona, Ergo & voluntas eodem actu potest velle objectum illius propositionis, quia illud omne potest velle voluntas eodem actu, quod eodem actu, præsentare potest intellectus, cur non enim, sed ille actus intellectus æquē primò & æquē directē attinget utrumque, Ergo & voluntas eo casu, æquē directē appetet utrumque. Subsumptum probatur. Tum quia quodcunque potest adferri fundamentum, duo aliqua æquē ab intellectu concipi, illud probabit, etiam objectum hujus propositionis; hic finis & hæc media sunt bona, æquē directē attingi. Tum quia si in dicta propositione, non æquē primò attingerentur finis & media, id ideo esset, quia media seu electio, sunt quid causatum, intentio autem quid causans, sed id non probat, hæc duo non posse æquē primò attingi, quia Pater & Filius in creatis sunt causa & causatum, & tamen æquē primò utrumque nosci potest ex illo principio, Relativa sunt simul cognitione, & certè aliud est, aliqua esse æquē primum ex objecto, & aliud æquē primò cognosci, nec apparet ratio, cur aliquid æquē primò cognosci non possit, etiam si non sit æquē primum, præcipue cum illa notitia non sit affirmativa illud objectum, ex parte objecti, æquē esse primum. Tum quia illa non attinguntur æquē primò, quando unum attingitur

tur nonnisi ratione alijs, sed hic nihil est, quod attingatur ratione alijs, finis enim non attingitur ut propter media, media etiam non attinguntur ut propter finem. Quod ipsum probatur. Quia alia hæc est propositio, hic finis est consequibilis per media, & alia hæc propositio, hic finis & hæc media sunt bona, quarum diversitas ostendi non potest, nisi quia in priori media indirectè attinguntur, directè autem in posteriori, ad eum modum, quo distincta hæc est propositio, Pater refertur ad filium, & hæc, pater & filius referuntur ad se.

ADDO, Quando intellectus dicit: Hic finis est acquisibilis per hæc media, & hæc media sunt acquisitiva hujus finis, eo casu intellectus & finem & media bis cognoscit, nempe implicite sub termino finis, indirectèque in Ly: per hæc media explicitè autem in termino; hæc media,

OBJICIUNTUR Primo *Paritates aliqua.*

PRIMA EST. Assensus præmissarum, distinctus est semper, & præcedit assensum conclusionis, ergo & intentio distincta est semper ab electione.

RESPONDETUR. Antecedens imprimis falsum esse in discursu virtuali, in quo assensus præmissarum, non antecedit assensum conclusionis. Deinde dupliciter, quantum ad præsens concipere possumus formari assensum præmissarum & conclusionis. Primo quod dicat intellectus: assentior conclusioni propter præmissas, eo casu præmissæ, indirectè attinguntur, sicut etiam cum dicit intellectus; hic finis est assequibilis per media, media nonnisi indirectè attinguntur. Secundo assentiri potest intellectus præmissis & conclusioni, quod fieri posse uno actu, probant dicta, & tali assensui respondet hic alius actus, qui dicit; hic finis & hæc media sunt bona, ubi etiam utrumque æquè primò attingitur. Denique adferri potest disparitas, quia scilicet de definitiva ratione syllogismi est, ut sit assensus uni directo objecto, propter aliud, seu, eò quod hæc sint, adeoque indirectè attractum. Jam autem non est de definitiva ratione finis & mediorum, ut non possit hic actus formari: finis & media, sunt bona.

SECUNDA PARITAS est. Non potest idem actus esse odium & amor, ergo nec potest esse idem actus intentio & electio.

RESPONDETUR, si res sit de diversis objectis, potest idem actus respectu diversi objecti esse amor & odium, & ita contritio for-

maliter odit peccatum, virtualiter amat Deum, circa tamen idem objectum, non potest idem actus esse amor & odium, quia verificarentur de illo duo contradictoria, nempe quod appetat objectum, & non appetat, nulla autem contradictoria ostenditur in actu de quo hic. Ex quo principio solvi etiam debet, quare non possit esse idem actus gaudium & tristitia. Aliam disparitatem dat amicus, quia scilicet odium & amor, gaudium & tristitia, supponunt in objecto, rationes objectivas oppositas, sed hæc disparitas non est plena, quia etiam alia est objectiva ratio, quæ est finis, & alia objectiva ratio, quæ sunt media, & tamen dicit amicus, ista uno eodemque actu attingi posse. Deinde quid magis oppositum quam ens & non ens, & tamen actu uno dicere possumus: falsum est, ens, esse non ens, ergo in eundem actum convenire possunt etiam objecta opposita.

Standum ergo prædictæ disparitati, & certè contritio adfert secum tristitiam de peccato, & tamen etiam adfert gaudium circa bonitatem divinam, quæ tunc virtualiter attingitur, possumusque gaudere de tristitia concepta ob Deum offensum. Quamquam dubitari posset de antecedenti, si ista restringatur. An scilicet, non possit dari unus actus, qui dicat una eademque sui entitate. Amo sub hac formalitate hoc objectum, odi sub hac.

TERTIA PARITAS est. Non potest idem esse causa & effectus, ergo nec idem actus est intentio & electio, quia intentio causat electionem, nec aliud est medium, esse volitum propter finem, quam volitionem medii, causari à volitione finis.

RESPONDETUR. Antecedens esse falsum in causa, & effectum, secundò productum, verum autem circa causam & effectum primò productum. Sed etiam Disparitas erit in præsentia hæc, quia causa & effectus primo productus, ut ex dictis alibi constat, debent esse distincta realiter, cum tamen possit esse distinctio nonnisi per rationem, inter formalitatem electionis & formalitatem mediorum, & si quæ in hac materia intervenit distinctio realis, illa non debet esse inter actus intendendi & eligendi, sed inter media ipsa & ipsum finem, inter hæc enim intercedit ratio verè causati, & veræ causæ.

OBJICITUR secundò. Consultatio non præcedit intentionem, præcedit autem electionem, ergo non possunt esse idem, intentio & electio.

RESPONDETUR. Posse imprimis fieri

†(T) 2 ut

ut consultatio præcedat finem, si scilicet plures simul fines proponantur. Deinde hoc argumentum saltem universaliter non concludit, quia fieri potest, ut si. Unicum sit tantum medium, consultatio illud non præcedat, quia hæc semper inter plures terminos versatur, quos saltem casu, poterit intentio & electio, in eundem actum coire. Rursus demus præcessisse actum intentionis successisseque consultationem, cur postea sequi non possit actus, qui sit repetitio intentionis, & simul electio.

QUÆRES, *quando non est idem actus electionis mediorum & intentionis finis, an tunc permaneat intentio.*

ASSERO primò. *Posse simul esse illos duos actus, durareque intentionem dum sit electio.*

RATIO ASSERTI, quia plures etiam actus, voluntas simul ponere potest, cur non ergo, & hos duos habere.

ASSERO secundò. *Non est necesse, in se physice existere intentionem finis semper, quando ponitur electio.*

RATIO, quia si esset hoc necessarium, esset necessarium propterea, ut intentio causet electionem, sed ad hoc non est necessaria existentia formalis intentionis, quia non est ullum fundamentum, concedendi vim causandi physicam, uni actui voluntatis, respectu alijs, sed hæc tota causalitas, potest esse formalis, ut scilicet determinata per intentionem voluntas, procedat ad electionem; ad causalitatem autem moralem non est necessaria existentia physica, sicut merita Christi causabant gratiam in veteri testamento, nec tamen tunc existerant.

ASSERO tertio. *Virtualiter debere semper, dum sit electio, existere intentionem.*

RATIO ASSERTI, quia alijs non haberet voluntas determinativum ad electionem mediorum, idque sub formalitate mediorum, cum electio mediorum, quæ talium, sit suo modo relativa ad finem. Hæc autem virtus, potest esse memoria intentionis factæ, & ipsum exercitium electionis, cuius hic & nunc redderetur ratio: eligo, quia intendi.

DICES. Non sufficit præmissas esse in sui memoria, ad hoc, ut causent conclusionem, Ergo etiam ut causet intentio electionem, non sufficit illam existere in sui memoria.

RESPONDETUR Negando consequentiam. Disparitas est; Quia si ponatur sola memoria præmissarum sine assensu, non dabitur determinativum ad assensum Conclusionis, hic enim definitivè debet esse, eò

quòd hæc sint, per quæ verba intelligitur assensus Conclusionis, propter assensum præmissarum; Jam autem non potest ostendi fundamentum, petibile ex ipsamet essentia electionis, quod non sufficiat sola memoria factæ intentionis, & virtualis jam supra explicatus influxus.

INSTABIS. Ex Oviedo hinc num. 14. Si illa electio immediatè principietur à sola voluntate, in circumstantia consultationis factæ, & in circumstantia representationis quam facit intellectus, de præhabita intentione, sequitur posse efficaciter finem intendi, in ipso instanti, in quo est executioni mandandus, & non eligi medium ad talem finem necessariò requisitum. Quod ipsum probatur, si intentio efficax qua media confusè cognita amantur, non influit neque determinat voluntatem, ad electionem singularis medii, illa permanente, posset voluntas medium non eligere, eodem modo, ac posset cessante prima intentione, non elicere aliam identificatam cum electione.

RESPONDETUR huius difficultatis plenior solutionem petendam ex dicendis de necessitate vel libertate electionis. Supposito autem quòd necessitetur intentione efficaci voluntas ad electionem, & concessio nihilominus, quòd voluntas sola sit principium illius electionis, dici poterit; quòd spectata electione, penes solam voluntatem, quæ est potentia libera, posset non esse electio, spectata tamen propositione, quam facit intellectus, de intentione præhabita, necessitari voluntatem, eò quòd non plus energiae habeat præsentia illius intentionis in sua entitate, ad determinandam voluntatem, quam habeat illa cognitio seu memoria præhabita intentionis, quæ representat intentionem jam factam, quia illius præsentia, in tantum conferret ad determinandam voluntatem, in quantum proponitur potentiae volitivæ. Cum ergo utrobique sit representatio intentionis, fit, ut non sit ratio, cur sicut præsens in se, & proposita à cognitione, determinat, determinare etiam non possit, si sit præsens per cognitionem memorativam, præcipuè, cum præsens etiam non determinasset aliter, nisi media cognitione. Ut autem expendatur hoc punctum de libertate & necessitate electionis,

Sit,

DIFFICUL-

DIFFICULTAS II.

An sit libera vel necessaria electio, sequens intentionem efficacem.

Non est difficultas de inefficaci intentione finis, sed de efficaci, de qua quaeritur: An libertatem relinquat voluntati ut ponatur vel non ponatur electio. Non relinquere libertatem docet communis sententia apud Oviedo hic punct. 3. & recentiorum Suarez citatum num. 90. Pro affirmativa sententia Medina suppressio nomine citat aliquos Doctores.

Punctum Difficultatis I.

Premittuntur quadam.

PRÆMITTO primò. *Publicem electionem cogitari posse.* Primam quæ est inter plura media, in quorum electione, dicunt etiam oppositi, salvare libertatem. Quia liberum est voluntati, alterutrum ex his eligere, quamvis necesse sit ut eligat, unde admittitur hic, ab oppositis etiam, libertas contrarietatis, licet non contradictionis. Secundò potest electio cogitari non nisi circa unum medium, casu, quo finis ille, non sit, nisi uno modo acquisibilis.

PRÆMITTO secundò. *Quod electio formalis, possit versari etiam circa unum medium* ut docet Oviedo hic punct. 1. num. 9. cum utroque Suarez contra Vasquez. Quod ut explicetur. Advertendum est electionem duo dicere, primo unius præ alio acceptionem & hæc potest dici materialis electio. Secundò potest accipi pro eo, quando aliquid appetitur ob bonitatem, relatam ad acquisitionem aliis, & hæc posterior ratio, est intrinseca electionis adeoque formalis. Quod ergo acceptio unius etiam medii sit electio.

RATIO est. Illud quod appetitur, & non appetitur propter se, appetitur propter aliud Ergo habet rationem medii Ergo volitio versans circa illud, erit electio, erit enim appetitio boni propter finem. Quando autem Aristoteles illud appellat eligibile, quod consultabile, loquitur de electione qualis est ut plurimum, in qua unum, præfertur alteri, vel loquitur de consultatione, per quam advertitur discretio illius medii, ab aliis, quæ non sunt hoc medium.

PRÆMITTO tertio. *Ad pensandam præsentem difficultatem esse determinandum in quonam sit efficax intentio & in quo intentio inefficax.*

EXPLICANT primò aliqui, & dicunt: Nomine intentionis inefficacis venire intentionem non intensam & nomine efficacis intensam.

CONTRA EST. Quia sæpe est aliqua intentio intensa, & tamen inefficax, ut est in ægroto intensissime appetente sanitatem nolente tamen consentire in abscissionem membri, omnino necessariam ab sanitatem.

EXPLICANT secundò alii, & dicunt intentionem efficacem, versari circa objectum absolutum, inefficacem circa conditionatum.

CONTRA EST. Quia actus: vellem non peccasse, est conditionatus, & tamen in penitente efficax. Deinde non est ratio, cur circa objectum absolutum simplex complacentia esse non possit.

EXPLICANT tertio alii & dicunt, intentionem illam esse efficacem, quæ necessario movet ad media.

HÆC EXPLICATIO supponit electionem non esse liberam, quod examinandum est. *Hinc*

EXPLICATUR DENIQUE quod illa potius intentio erit efficax, quæ connotat positionem finis, non dico quæ potest connotare, quia etiam inefficax intentio, potest id connotare & sic defacto inefficax intentio salvandi omnes homines, connotat posse salvari eorundem nec item dico intentionem efficacem, connotare media, quia intentio inefficax salvandi omnes homines, connotat positionem mediorum, hoc est gratiarum sufficientium, quæ sunt media ad hunc finem, qui est salus æterna & tamen illa intentio est inefficax, sed dico quod connotet actualem positionem finis.

RATIO explicationis, quia hæc explicatio convenit omni, soli & semper, intentioni efficaci, proceditque per prima, & sicut gratia efficax explicatur in ratione efficacis, per actualem positionem effectus gratiosi, ita & intentio efficax qua efficax, debet explicari, per actualem connotatam intentionem finis.

NEQUE VALET SI DICAS. Si aliquando non poneretur effectus à gratia efficaci, malè illius efficacia explicaretur,

†(T) 3

retur, per connotatum effectum. Ergo cum saepe non ponatur finis efficacis intentionis, male explicabitur, per connotatam positionem finis. Non inquam valet si dicas. Quia ad positionem effectus gratiosi non aliud est necessarium nisi ipsa gratia & operatio voluntatis, hinc sicut ipse effectus est efficaci sativus, ita & gratia efficax, importat eundem, sed quia ad positionem finis, praeter intentionem efficacem, etiam alia sunt requisita, fit, ut sufficiat, quod a parte intentionis, non oriatur defectus ponendi finis, licet oriatur aliunde.

Punctum Difficultatis 2.

Expenduntur argumenta affirmantium libertatem electionis.

PRIMUM ARGUMENTUM EST. Quia si nulla esset libertas in electione, nullum etiam meritum, & sic qui martyrium subiret vi suae electionis, nihil mereretur, sed sola intentione. Huic argumento variae adferuntur responsiones.

PRIMA RESPONSIO EST. Scilicet fieri posse ut veretur electio circa plurimam in quibus eligendis libertas adhuc erit.

CONTRA EST. Quasi quis damnatus ad furcam liberè eligeret, ex pluribus unum funem quo suspendi deberet, quid magnae libertatis haberet, si necessitaretur ad eligendum aliquem. Deinde fieri potest ut sit nonnisi medium unum, v. g. in articulo mortis unum nonnisi medium contritio numquidne jam illa censenda esset necessaria?

SECUNDA RESPONSIO EST. Quia scilicet electio libertatem habet, eo quod fieri possit, hoc vel illo instanti.

CONTRA EST. Quia haec responsio concedit aliquid difficile, nempe ratione substantiae actus non esse tunc meritum, sed solum ratione circumstantiae temporis, unde etiam non dicitur libere mori damnatus ad furcam, si detur ei licentia tantisper orandi, licet ille pro sua libertate diminuat suam orationem. Est haec responsio, refutata in simili, de Incarnatione, ubi de libertate Christi.

TERTIA RESPONSIO EST. Quod actus electionis licet non habeat libertatem, addat meritum, quia addit honestatem & distinctum motivum intrinsicum.

CONTRA EST. Tum quia supponamus quod post efficacem intentionem placendi DEO, infundatur praedeterminatio necessitans, vel adhuc erit meritum vel non erit? Si non erit, cur non? cum maneat idem motivum electionis, & tu ad meritum non requiris libertatem. Si autem erit ille actus meritorius, convelles communem Patrum sententiam, ad meritum libertatem requirentium, nec sufficiet quod in ante intentione ipsa exerceverit libertatem; quia praecedens actus, non facit actum sequentem liberum, deinde per nos posita physica praedeterminatione, nonnisi post praevium consensum nostrum conditionatum, adhuc tolleretur libertas ut alibi dicitur, nec antecessio libertatis, salvaret libertatem, ita & in praesenti. Et certe si aliquis liberè dixerit: liga me, & tamen volens postea religari, non possit id efficere, non pertinebit jam ad honestatem moralem, illud manere in vinculis, ita nec spectabit ad honestatem moralem, eligere medium, si necessitor ad illud eligendum. Tum quia si actus externus nullum habet meriti ut ita dicam primitivae honestatis, quia caret libertate, ita nec habebit meritum illa electio, quod enim illa electio proficiatur a principio intrinseco, & a potentia libera, parum refert, si ipsa potentia, tunc liberè non operetur; & sicut quamvis externus actus habeat honestatem quadam externam, non augeat primitivum meritum, quia caret libertate, ita nec electio habens internum motivum, augebit meritum utpote carens libertate. Tum quia antecedentia libera, qua volunt beati amorem beatificum, non facit illum meritorium idque ob defectum libertatis. Ergo nec antecedentia libera intentionis, faciet meritoriam electionem, si illa est necessaria. Hoc tamen argumentum, saltem universaliter non convincit: Hi enim quo dicunt actu externo nihil nos mereri, libenter concederent, ipsa intentione martyrii, nos mereri.

SECUNDUM ARGUMENTUM EST. Posita intentione efficaci, medium, circa quod est, illa electio, non ostenditur tanquam summe bonum ergo potest adhuc illud voluntas non eligere, consequen-

sequenter nec necessitatur ad electionem. Quod autem non appareat tanquam summum bonum vel inde ostenditur: Quia non apparet tanquam bonum, carens omni defectu.

RESPONDERI potest. Non solum summum bonum esse nostri necessitativum cum etiam præmissæ, licet non sint summum bonum, necessitent ad inferendam conclusionem, & sicut hic admittitur necessitas ex suppositione assensus, ita & hic erit necessitas electionis, ex suppositione intentionis.

TERTIUM ARGUMENTUM EST. Non apparet quomodo necessitet intentio electione, quia si supponamus esse necessariam electionem intra annum, quacunque parte anni nondum urget electio, quia posterius fieri potest, in sententia. Aristotelis, dividende partes continui, in finitum. Hæc ratio non multum evinceret, quia non ostenderet libertatem in substantiam actionis sed non nisi in tempus. Quando etiam alii urgent, quod si aliquis putaret, ad ostendendum amorem Dei, liberè utentis creatura, esse utile odisse, illum, quod inquam necessario deberet odisse DEUM, quia procedit ex suppositione destruentem seipsam, nihil omnino concludit.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta opposita partis & decisio Difficultatis.

PRIMA RATIO EST. Probans necessitari voluntatem ad electionem ponitur ex Oviedo voluntas efficaciter amans finem, tenetur illum amare, eo modo, quo possibilis est. Ergo si medium sit unicum ad finem obtinendum, cum finis possibilis non sit, nisi per tale medium, tenetur voluntas velle finem, per tale medium.

RESPONDETUR Antecedens hoc non satis esse explicatum, & quid sibi velit amari finem eo modo quo possibilis est, si enim is sit sensus: Amari finem sub formalitati possibilis falsa erit propositio, cum etiam in impossibile sub conditione possit ferri voluntas. Si autem faciat hunc sensum: amant finem efficaciter, tenetur illum amare qua assequibilis est, si per Ly tenetur significatur libertatis, ablatio, etiam

ipsa intentio libera non erit, siquidem etiam ipsa, & quidem vel maxime, tenetur amare finem tanquam consequibilem, & sicut, licet supposito quod velit voluntas amare, debeat amorem ponere, non sequitur ulla necessitas in ipso amore, si nec sequetur in præfenti.

SECUNDA RATIO Ejusdem est. Voluntas efficaciter amans finem, tenetur velle finem, per aliquod medium, quo possit comparari, quia cum finis non possit comparari nisi per media aliquod, & hoc determinate in executione ponendum, & voluntas efficaciter intendat finem comparare tenetur velle in particulari medium aliquod exequi, ut finis possibilis sit.

RESPONDETUR præter jam dicta negando teneri voluntatem ad amplectendum illud medium, eo modo, qui necessitatem inducat. *His expensis*

ASSERO PRIMO *Actum intentionis de objecto liberè intento, non adferre ullam necessitatem, per quam tollatur libertas.* Et assertum S. Thomæ, ut videre est prima part. quæst. 82. art. primo ad tertium videtur idem sentire Borull. num. 606. & Mastr. Disp. 7. num. 166.

RATIO prima est quia si necessitaretur electio, necessitate tollente libertatem, vel haberet hoc ex ratione essentiali intentionis efficacis, vel ex ratione intentionis efficacis creatæ, si id habet ex essentia ut sic intentionis Ergo etiam DEUS intendens efficaciter salvare prædestinatos, non liberè illos justificaret & salvaret, & tamen sentimus, quod nos liberè genuerit verbo veritatis suæ. Si autem id habet ex vi intentionis creatæ, quod illud est tale necessitativum, necessitate libertatem tollente, & ex alia parte, par videtur esse utriusque ratio.

RATIO secunda est. Non habet majorem necessitatem electio comparata ad præcedentem intentionem efficacem, quam ipsa intentio efficax, habeat necessitatem, ut sit, supposito quod sit. Neque enim major est cujusquam necessitas in operando, quam in essendo præcipue cum in esse intentionis, tanquam in causam, referri debeat ipsa quæ adstruitur necessitas electionis, sed necessitas ipsius intentionis, non est necessitas tollens libertatem, Ergo & necessitas electionis, libertatem etiam habere poterit.

†(T) 4 RATIO

RATIO tertia est quia necessitas orta ex suppositione, quam ponere vel non ponere est in nostra potestate, vel quæ pendet ab eo, quod est in nostra potestate, non tollit libertatem, sed necessitas quæ est in electione, est necessitas ex suppositione, quam ponere vel non ponere, erat in nostra potestate, est enim orta ex intentione, quam facere vel non facere poteramus, ergo. Major à nostris Doctoribus in materia de gratia assumitur, potestque probari per hoc principium, quia exercitium libertatis, non est destructivum libertatis, sed est vel maxime liberum ut quo. Necessitas autem prædicta, est ipsum exercitium libertatis. Deinde confirmatur assertum, quia vel potest mutari illa intentio, vel non potest, si non potest, inferam, ergo æque necessitatem habet ac electio, si potest mutari ergo etiam potest, non fieri illa electio. Neque valet si dicas fieri necessario electionem, supposito quod non mutetur intentio. Quia si ipsa intentio, supposito quod non mutetur, non est necessaria necessitate auferente libertatem, ergo etiam supposito, quod non mutetur intentio, non erit electio necessaria, necessitate auferente libertatem. Deinde si nihil obstat, debemus non solam intentionem efficacem merendi de DEO, dicere, esse meritoriam, ac consequenter liberam, sed etiam & ipsum actum amoris v. g. DEI, alias nunquam illo mereremur.

ASSERO secundo *Casu quo sit efficax intentio finis, sub formalitate per media obtinendi ita ut in intentione efficaci, ratio mediorum eluciat, tanquam aliquid indirecte cognitum, eo casu necessitatur voluntas, ex suppositione, ad electionem virtutalem.*

RATIO quia illud, quod est, necesse est, esse sed illa intentio est virtualis volitio mediorum, est enim illic attractio etiam mediorum, ergo necesse est, poni tunc, virtutalem electionem.

ASSERO. tertio. *Supposita efficaci intentione, concedi posse generale quandam necessitatem electionis, positam in hoc, quia non potest haberi sine mediis.*

RATIO asserti est, quia in dicto casu, ita se haberet electio, sicut se haberet suppositio exercitii libertatis, sed hæc etiam adfert necessitatem ex suppositione, ergo & illa intentio adferret.

DIFFICULTAS III.

An Electio velit semper majus bonum.

Titulum sic alii proponunt; an ex duobus bonis, voluntas possit, prosequi minus bonum, an vero debeat semper prosequi majus. Vasquez & Azor affirmant quod voluntas debeat prosequi semper majus. Negat autem suares uterque Amicus tom. 3. disputat. 10. Ariaga Oviedo & alii.

DICENDUM EST. *Non necessitari voluntatem ad prosequendum non nisi majus bonum.*

PROBAT primo Recentior suares. Voluntas est potentia libera, nec quisquam amat necessario, quod illi non proponitur ut necessario amandum. Sed majus bonum, non proponitur illi necessario amandum, ergo.

RESPONDERI potest hoc argumento probari, quod possit non amari majus bonum, hoc autem concedent oppositi, sed non probari, quod non sit semper actu amandum.

PROBAT secundo Oviedo Irrationabile est, cessare ab omni electione, quia mihi occurrunt duo media quibus consequi possum finem.

RESPONDETUR. Concedo totum. Alia enim est quaestio: An ex duobus inæqualibus, majus semper appetatur, & hoc volunt oppositi, alia est quaestio: An ex æqualibus alterutrum eligi possit, de quo nunc non discutitur: Quia autem etiam hæc quaestio hic deciditur, an ex duobus æqualiter propositis possit alterutrum eligi, dicent oppositi non posse eligi alterutrum, tuebunturque se auctoritate. Aristotelis, qui libr. de Cælo Text. 9. 3. dicit. Et de esuriente & sitiente vehementer quidem, similiter autem & de esculentis, & poculentis æqualiter distante, etenim hunc quiescere; necessarium est. Non loqui autem Aristotelem de agente etiam libero, negabunt oppositi, nisi id aliunde probetur. *Hinc aliter*

PROBATUR tertio. Conclusio argumenti negativo. Quia scilicet nulla est necessitas, & nullum fundamentum, quod potentia libera, libertatem suam non exerceat, eligendo minus bonum, post habendo majus. Non est

est item fundamentum, quod proportionatus modus sequendi objectum in voluntate, sit, sequi melius. Ratione etiam positiva sic probatur. Tum quia minus bonum in comparatione alius vel est bonum vel non est. Si non est bonum, ergo & est minus bonum ut supponitur, & non est minus bonum, quia ut dicis non est bonum, quod autem non est bonum, quomodo potest esse minus bonum? Quodsi in comparatione alius maioris boni, minus bonum, est nihilominus bonum, ergo in comparatione alius boni, est amabile, ratio enim amabilis, rationem boni necessario sequitur, quodsi minus in comparatione alius boni est amabile, ergo & appetibile ergo & eligibile. Tum quia minus malum in comparatione maioris mali, est eligibile, item est magis detestabile illud majus, ergo & minus bonum, in comparatione maioris boni, est eligibile, & minus quidem, sed tamen amabile. Quodsi dicas minus bonum habere in se mistura mali, dicam etiam in minori bono esse aliquam mistura boni. Tum quia si impossibile est minus bonum praeligi majori, frustra intellectus proponeret plura media, quorum quædam sunt meliora, quædam non, sicut quando intendit voluntas attingere aliquem locum, mens non proponit illi Equo cervum, tanquam medium ad finem illum consequendum, quia impossibile est equo cervum velle, & post habere illi equum. Ex altera autem parte, deberet proponere minus bonum; quia nisi proponeretur melioritas alius medi, taxari non posset, sicut taxari non potest: Petrum esse majorem Paulo, si nec scitur quantus sit Paulus.

Neque valet si dicas: Illa duo bona, proponi non tanquam sequenda, sed nonnisi ut intellectus cognoscat meliorem unius præ alio, non inquam valet, quia sequitur non proponi voluntati minus bonum, sed solum intellectum pensare & post consultationem, nonnisi id quod judicat melius proponere. Hoc autem tu dicere non potes, quia quæstio procedit, non de hoc, an voluntas supposito, quod velit eligere teneatur, nonnisi unum eligere, casu, quo nonnisi unum illi proponatur, sed procedit de hoc, an possit ex duobus bonis sibi propositis, minus bonum eligere.

Plura de hac materia vide prima parte, ubi de medio noscendi futura, quod est excessus, quem quidem modum, primus in provincia nostra docuit Magister meorum Magistrorum, nempe pater memorie P. Laurentius Pikarski, vir vasti & acuti ingenii, cujus scripta Theologica, æquè ac Philosophica, utinam publicum vidissent.

OBJICIT primo Vasques auctoritatem Aristotelis ex tertii de anima capite undecimo ubi concludit voluntatem in consultatione, sequi id quod majus est. Tertii item Ethicorum cap. 3. quod inquit ceteris ex præconsultatione prætulimus id eligibile est. Similia habet S. Thomas prima secundæ quæst. 3. art. 6. ad 3. & Damascenus 2. fidei cap. 22.

RESPONDETUR hæc loca nonnisi velle, quod ordinariè in majus bonum inclinet voluntas, sed non probare quod semper inclinet nonnisi ad majus bonum, dicit etiam O. viedo Ly: voluntatem prosequi majus, non aliud dicto loco significare, quam quod majus sit objectum voluntatis, præ objectis sensitivæ & imaginativæ, cum quibus potentiis, comparatim voluntatem Aristoteles.

OBJICITUR secundo. Electio fit ex judicio consultationis, consultatio autem nequit esse de minori aut æquali bono, quia intellectus non judicat eligendum quod æquale, aut quod minus bonum est, sed quod utilius est. Quodsi dicat intellectus, melius esse id quod est majus bonum, contra hoc ejus judicium, oppositum non potest facere voluntas.

RESPONDETUR. Hoc argumentum supponere quod præcedat actum voluntatis aliquod practicum judicium, quod dicat voluntati: Fac hoc, elige hoc & similia. Hoc autem imperium non datur ut aliàs vidimus. Ceterum quamvis proponat intellectus voluntati, quod melius sit factura eligendo melius bonum, non negat tamen bene facturam, si minus bonum eligat, cumque voluntas habeat vim se determinandi ad alterutram partem, determinare se poterit voluntas, unde ex consultatione eruitur hæc conclusio, si melius apprehendatur medium, erit melior consecutio finis, per medium autem minus bonum, apprehendetur quidem bene finis, sed non æquè bene, relinqueturque tota optio eligendi voluntati.

OBJICITUR tertio, Minus bonum comparative est malum, malum autem eligi non potest, ergo nec minus bonum eligi poterit.

RESPONDETUR minus bonum sub formalitate, quia est malum, non potest eligi, sed sub formalitate boni tanti, potest eligi, ad eum modum, sicut formalitas minoris mali, sub formalitate mali, eligi non potest, licet sub formalitate qualis qualis boni, eligatur.

Per hoc tamen non negatur ordinariè majus bonum, & melius medium, à voluntate arripi. Suadet id enim experientia, &

licet

sicut à summo bono clarè cognito, ita abripitur voluntas, ut non possit denegare illi actum ita eum majus bonum, habeat vim, trahendi & abripiendi voluntatem, majorem, ordinariè illi adhærebitur, & sicut proposito intellectui motivo scientifico & opinativo, arripit potiùs intellectus motivum scientificum, quia in eo reperit plus de veritate, quam prosequitur, ita & voluntas ordinariè adhærebit meliori bono, eò quòd in illo reperiatur, id, quod potissimum intendit.

QVÆSTIO II.

De Actu Imperante & Imperato.

Non est difficultas an voluntas imperet aliis potentiis, clarum enim est voluntatem imperare potentiæ loco motivæ, ut se moveat, nec item est difficultas an imperet intellectui, certum enim est piam affectionem, antecedentem actum fidei, imperare intellectui assensum. Sed est

DIFFICULTAS I.

An voluntas, uno suo actu, possit imperare alium.

Dupliciter posset concipi imperare sibi voluntatem alterum actum. Imprimis per imperium reflexum, cum ex proposito bonitatis alicujus actus, movetur voluntas ad illum sibi imperandum, Directum autem imperium est, ut cum ob connexionem unius actus, cum alio actu, movetur ad illum voluntas, v. g. cum ex amore DEI, movemur ad amorem proximi, & de hoc imperio directo, non est difficultas, experimur enim, quod ex connexione unius actus cum alio, devolvamur ad eundem. De imperio reflexo est difficultas, negat enim Vasquez, Affirmat uterque Suarez Oviedo & alii.

DICENDUM EST. *Posse voluntatem imperare sibi alium actum.*

PROBARI solet primò Conclusio, argumento, cujus fundamentum est in Sancto Thoma, Quia quidquid est in potestate nostra, subjacet imperio seu voluntati nostræ, sed actus voluntatis sunt maximè in potestate nostra, sunt enim maximè voluntarii, Ergo imperari possunt.

Hæc ratio nisi ulterius explicetur petit principium. Si enim per Ly sunt in potestate voluntatis intelligatur, quòd scilicet sit voluntas potentia elicitiva actuum, vera est propositio, sed nihil probat, potest enim actus

illos elicere, sed stat cum hoc, ut illi aliunde imperentur, si autem per Ly, sunt in potestate voluntatis, intelligatur dominium voluntatis in illos, ex quo sequatur imperium, erit petitio principii, & sicut quamvis motus progressivus, sit in potestate potentiæ loco motivæ, tanquam in principio elicitivo, inde tamen non sequitur, esse in potestate potentiæ loco motivæ, tanquam dominativæ motui, habere vim, uno motu, imperandi alium, ita & in præsentia, non sequitur ex continentia actuum voluntatis in voluntate, tanquam in potentia elicitiva, contineri illos in voluntate, tanquam in potentia dominativa.

PROBAT secundò à pari recentior Suarez. Voluntas habet dominium actuum aliarum potentialium, Ergo potest habere & dominium suorum actuum.

RESPONDERI potest negando Consequentiam, quia ex dominio quod alicui convenit supra alios, non valet argumentatio, ad dominium supra seipsum, aliàs cum **DEUS** habeat dominium supra alios, dici poterit Dominus sui, & Rex, cum sit rex aliorum, poterit esse Rex sui, Ergo ex præciso dominio, & vi imperandi aliis, non sequitur dominium & vis, imperandi sibi.

PROBAT tertio. Arriaga & Oviedo. Actus quo ego dico; volo elicere actum amoris, conducit ad habendum actum amoris, aliàs immerito à peccatoribus exquireremus proposita fugiendi peccati, cum dicas illam voluntatem non conducere quidquam, si autem conducit prædictus actus, Ergo interveni & imperium, quia non apparet, quomodo conducere possit, nisi imperando. Si enim dicas, quod conducat movendo voluntatem, ut imperet intellectui indagationem motivorum, quibus indagatis sequatur actus. Contra erit, quia fieri v. g. potest, ut dicat voluntas: Volo elicere actum amoris DEI, propter solam illius bonitatem, eo casu non esset necesse indagare ulla alia motiva, & tamen voluntas amandi conduceret ad amorem, Ergo illud conducere, non potest salvari, per imperatam indagationem mediæ, etsi potest imperare intellectui indagationem mediæ, cur non & sibi actum, potestque fieri ut illa voluntas, non respiciat indagationem mediæ, tanquam objectum, sed immediatè ipsummet amorem.

RESPONDERI posset huic argumento, conducere illum actum tanquam causam dispositivam per se, per quam disponitur voluntas, ut eliciat actum amoris, sed intellectu, (posita illa dispositione) imperante actum voluntatis.

voluntatis. Posset etiam conducere eo modo, quo v. g. assensus hic: Omne totum est majus sua parte, disponit ad assensum, quod digitus non sit æqualis manui, vel certe conducit ille actus, tanquam objectum cognitum, quia scilicet intellectus effingit sibi speciem expressam illius actus, eumque repræsentat voluntati, ut postea eliciat actum, ita, ac eliceret illum primum, quo dicebat, volo elicere actum amoris Dei. *Hinc*

PROBATUR commodius conclusio argumento negativo, quia scilicet nullum est fundamentum denegandi hoc imperium, respectu actuum propriorum, experimurque sæpe, ita se habere voluntatem, in movendo alias potentias, à se distinctas, ad actum, quo etiam se movet ad suum actum ponendum, si ergo prior ille actus, est imperium, cur non est posterior. Quæ ratio non ad hoc recurrit, quod voluntas si imperat aliis, imperabit & sibi, sed recurrit ad experientiam. Deinde datur de facto actus, quo dicat voluntas, volo elicere actum amoris, ponamus postea elici illum actum amoris, quæro vel potest pro ratione reddi, illum actum esse elicitum, quia illum intimavit eliciendum prior ille actus, vel non potest pro ratione reddi, si potest pro ratione reddi, ideo actum elicitum esse, quia illum intimavit voluntas, ergo potest pro ratione reddi, quia illum imperavit, per hoc enim imperium non plus intelligitur, quam fieri quia intimavit voluntas, si autem non potest pro ratione reddi, quod ideo ille actus sit factus, quod illum intimaverit voluntas, ergo fallit experientia, quæ experimur intimationes voluntatis, ergo ulterius non experietur voluntas in se hunc actum intimatum: Volo elicere actum amoris. Deinde potest intellectus dicere, intelligo necessarium esse, ut hoc aliud intelligam, potestque intervenire hic imperium, ergo etiam cum ponat voluntas hunc actum, volo ut hoc velim, poterit illic intervenire imperium.

OBJICIT primò Vasques auctoritatem S. Thomæ, qui prima secundæ quæst. 18. art. 6. ad 2. docet, quod actus quidem exterior, ordinetur in finem ab actu interiori, non autem interior, jam autem si unus actus voluntatis imperetur ab alio, ordinabit unus actus interior, finem, alteri interiori.

RESPONDETUR, S. Thomam non aliud velle, quam quod actus externus quæ talis, non habeat finem suum intrinsecum honestum, & quod honestatem accipiat ab interno; Sed non negat, quod actus interior, & suum finem ab intrinseco præstitutum habere possit, & ab alio actu præcedente, ordinatum.

OBJICITUR secundò, si possunt imperari actus etiam interni à voluntatis præcedente actu, & non soli externi, nulla erit inter hos duos actus distinctio, sicut enim externus ita & internus pendebit à voluntate. Rursus sicut externus non habet propriam libertatem, ita nec habebit internus.

RESPONDETUR an actus imperatus habeat libertatem de hoc inferius, sed supposito etiam, quod libertatem non haberet, adhuc distinguere posset ab actu externo, imprimis ratione hac, quia actus interni sunt immanentes, ex sua ratione & conditione; non autem actus externi. Rursus actio externa, naturâ suâ, nullam habet primitivam bonitatem vel malitiam, habet autem interna. Denique per accidens est, quod actum internum præcedat imperium voluntatis, per se autem actio externa deponit, nonnisi imperari.

OBJICITUR tertio. Nihil est sibi ipsi subditum, ergo nec voluntas sibi tanquam subdita imperare potest.

RESPONDETUR, non esse tale quidem hic imperium, quale est dum Dominus imperat servo, ubi est distinctio realis imperantis & cui imperatur, jam autem voluntas à se ipsa non distinguitur realiter, sed est distinctio alius & alius formalitatis, quantumvis ipse actus imperans ut Quo, & imperatus, sint distincti realiter, cumque inter hos actus interveniat intimatio, consimilis ei, quæ intervenire solet inter subjecta distincta realiter, sit ut hæc intimatio dicatur imperium.

DIFFICULTAS II.

De libertate Actus Imperati.

PRÆMITTO primò, *Actum imperii dupliciter considerari posse. Primò*, Quo dicat voluntas. Volo hic & nunc fieri actum amoris, ita ut illi determinet instans, quo fieri deberet. Secundo potest fieri imperium sub disjunctione: Volo fieri hunc actum vel hoc vel alio instanti, neque enim repugnat actus voluntatis efficax, & tamen sub disjunctione, eo modo, quo Deus in lege purificationis voluit efficaciter offerri sibi munus, licet sub disjunctione, vel Agnum, vel par columbarum, aut turturum.

PRÆMITTO secundò. *Quando voluntas imperat actum sub disjunctione hujus vel illius instantis, dupliciter adhuc illud imperium considerari potest: Primò*, ut duret omnibus illis instantibus. Secundo, ut duret nonnisi primo. Potissima difficultas est de priori suppositione.

PRÆMITTO tertio, *quid sentiant Doctores*

Doctores in hac materia. Concedit libertatem a-
ctui imperato universaliter Suarez libr. 12.
de gratia cap. 11. num. 14. Jam autem
tunc cum jam transit actus imperans, im-
peratum esse liberum, consentiunt etiam ij,
qui universaliter non concedunt libertatem
actui imperato, idque ex hoc fundamento,
quia quando jam non est actus imperans, &
sequitur imperatus, ita sequitur, ut potuerit
non sequi, non enim repugnat, ut voluntas effi-
caciter velit actum imperatum, & postea no-
lit, si ergo sequatur ille actus, liberè seque-
tur.

Casu autem quo existat imperans, negat
libertatem actui imperato, Vasques, Salas, O-
viedo, & alii, si autem imperium sit sub disjun-
ctione temporis, etiam durante actu imperan-
te, dicunt actum imperatum, non solum esse
liberum quoad circumstantias, sed etiam quo-
ad substantiam actus, ex quo etiam principio
in parte salvat Lugo libertatem Christi.

DICENDUM EST. *Actum imperatum esse
actum liberum;*

PROBATUR primò argumento negati-
vo, qua scilicet nullum est fundamentum tri-
buendi actui imperanti vim necessitandi, ut
fiat imperatus, necessitate tollente liberta-
tem. Quæ ratio stat solutione argumentor-
um infra ponenda.

PROBATUR secundò. Posito actu im-
perante, vel potest voluntas nolle imperantem
actum, vel non potest nolle; Si non potest nol-
le, Ergo non datur unquam retractatio, quod
est contra experientiam, si autem posito actu
imperante, potest voluntas nolle actum impe-
rantem, ergo etiam potest nolle imperatum,
cum necessitate imperantis te arguat, ex po-
sitione imperantis. Quod si potest nolle im-
peratum actum, ergo quod illum velit, liberè
vult, cum potuerit nolle.

CONFIRMATUR à pari, quia electio
supra circumscripta est actus liber, etiam si
comparatur ad intentionem efficacem, ergo
& actus imperatus, comparatus ad imperan-
tem, erit liber.

RESPONDEBIS primò supposito, quod
non retractetur imperans actus, non potest
non sequi imperatus eaque propter non erit
actus ille liber.

CONTRA EST. Supposito quod sit impe-
rans actus, quamvis non possit voluntas facere
ne fuerit illius suppositio, potest tamen facere,
ut definat illa suppositio, definat inquam ne
sit, non autem ne fuerit suppositio, si enim fuit,
non potest non fuisse. Ergo liberum illi est,
quod sit ille actus imperans, ergo & liberum
illi est ut sit imperatus, si enim necessitativum
subditur libertati, multò magis subdetur ne-
cessitatum. Deinde si prædeterminatio esset
talis naturæ, ut eam ponere sit in nostra pote-

state, ut posita illa posset non procedi ad a-
ctum, possetque auferri ipsa prædeterminatio,
ex nullo capite argueretur tunc necessitas, er-
go & actus qui sit ex imperio, cum imperium
ponere sit in nostra potestate, possitque posi-
tum auferri, actus sequens illud imperium, e-
rit liber; sicut & actus sequentes circumscri-
ptam prædeterminationem essent liberi. Rur-
sus supposito actu quod sit, esse actus illius, est
liberum voluntati: Quia poterat illum facere,
& illius necessitas, est ex suppositione exerci-
tii libertatis. Ergo etiam cum actus impera-
tus sit ex suppositione exercitii libertatis, erit
liber. Denique si actus imperatus fieret post
retractatum imperium, liberè fieret, ergo &
cum sit non retractato imperio, liberè sit, quia
ad libertatem non requiritur retractare, sed
posse retractare. Deinde præsentia actus
imperantis, in ratione entitatis, nihil confert
ad causandum actum imperatum, sed tantum
præsentia ejus in esse intentionali, sed præsen-
tia ejus in esse intentionali, casu quo non ha-
beat præsentiam quoad entitatem, non neces-
sitabit voluntatem, per oppositos, ad actum
imperatum, ergo nec in præsentia entitativa
necessitabit voluntatem, ad ponendum impe-
ratum actum, cum non causet illum, nisi prout
est in esse præsentis intentionali, si enim non
experiretur mens, nec nosceret filium actum,
haberetur se, atque si non esset. Denique vel
potest pro ratione adferri cur fiat actus impe-
ratus, quia scilicet illum voluit voluntas, vel
non potest, si non potest id pro ratione adfer-
ri, ergo nec ideo fit, quia est imperans, cum i-
dem sit, fieri illum: Quia voluit, voluntas, at-
que fieri, ideo, quia imperavit voluntas. Quod
si pro ratione cur ille actus sit factus, adferri
potest, quia illum voluit voluntas, ergo liberè
fit, tota enim ejus necessitas, est ex suppositio-
ne exercitii libertatis.

RESPONDEBIS secundò, distincta
hæc esse velle liberè actum, & aliud est velle
liberè faciendum, negari que debere, quod ve-
lit voluntas illum liberè faciendum.

CONTRA EST, quia rationes allatæ o-
stendunt, velle voluntatem actum impera-
tum, liberè faciendum, cum illius necessitas,
aliunde argui non possit, quam ex supposito
exercitii libertatis.

PROBATUR tertio argumento, quod
communiter in hac materia proponi solet. Si
actus imperans adimit imperato libertatem,
si quis ex affectu pœnitentiæ in articulo mor-
tis imperaret sibi actum charitatis, quod in-
quam talis actus liber non esset, non est e-
nim ratio, cur unus actus imperatus sit liber
& alii non sint liberi. Quod si ille actus cha-
ritatis non est liber, ergo nec est meritorius,
si non est meritorius, non est justificati-
vus.

Flac

Hoc Argumentum in principiis Vasquez evitari posset, qui docet quod contritio sit forma justificans sicut & gratia suo modo, & tamen gratia non est quid liberū & sicut, ut gratia dicatur liberè infundi, sufficit præcessisse actum liberum, ita & hic sufficit præcessisse, actum poenitentiae liberum. *Sed aliter*

RESPONDETUR huic argumento Hurtadus & Oviedo: nempe quod Deus acceptet illum actum imperatum à virtute poenitentiae, ut conferat gratiam habitualement, gratia enim habitualis datur homini peccatori, non ut premium meriti de condigno, sed de congruo, poterit itaque intuitu majoris vel minoris meriti conferri, ex voluntate Dei.

CONTRA est. Tum quia ponamus ex virtute poenitentiae imperari actum contritionis in homine iusto, hic meretur de condigno augmentum gratiae, tunc quæro illi contritioni, vel respondet meritum vel non respondet, si respondet: Ergo respondet sine libertate, si non respondet: Ergo actui supernaturali, in gratia elicitio, non respondet meritum quod est absurdum. Tum quia hæc responsio ostendit quidem, quomodo sequatur gratia effectum poenitentiae, qui potest appellari minus meritum, sed non ostendit, qui sequatur actum charitatis imperatum, quia ille cum non sit liber, non est meritorius per oppositos. Tum quia sequitur ex ista responsione posse aliquem ad ultimum, salvari, sine ullis propriis meritis. Ponamus enim à primo usu rationis peccasse aliquem, & in articulo mortis ex affectu poenitentiae imperare sibi contritionem, ille non habet ulla merita antecedentia imperium illud contritionis, hoc enim sensu formatur suppositio, non etiam meretur per ipsum imperium, quia pro illo instanti supponimus illum nondum fuisse in gratia, non meretur etiam contritione, quia meritum innectit sibi libertatem, quæ per te in illo actu contritionis non reperitur. Ergo salvabitur sine ullis propriis meritis ille adultus.

Objectiones solvuntur.

OBJICITUR 1. ex recentiori Suarez hic num. 52. Posito tali imperio, non potest non sequi actus imperatus.

RESPONDETUR negando Antecedens, quod non nisi in hoc sensu verum est, quod scilicet non possit non sequi ex suppositione exercitii libertatis, non verò ex suppositione alius generis.

INSTAT Idem 1. Tunc adimitur libertas, cum inducitur necessitas antecedens, hoc est necessitas causæ, cui non potest resisti, sed actus imperans, inducit actui imperato, necessitatem antecedentem, hoc est necessitatem causæ, cui actus imperatus non potest resistere.

RESPONDETUR. Posse illi necessitati resisti, eò quod ipse actus imperans, auferri possit, ut dictum in probatione secunda, cumque illi resisti non possit non nisi ex suppositione exercitii libertatis, erit necessitas stans cum libertate.

INSTAT Idem 2. Actus imperatus externus, sequitur non liberè, quia non potest non sequi.

RESPONDETUR. Actus imperatus sequitur liberè, eò quod possit auferri imperans, etsi non potest non sequi, est hoc, non nisi ex suppositione exercitii libertatis, ne tamen actus externus dicatur primitivè liber obest inter alia, quia non proficiscitur à potentia interna, cui soli competit libertas primitiva.

OBJICITUR 2. Ex Oviedo hic controver. 9. pñ. 4. Actus imperans ex natura sua efficax, si determinatum respiciat objectum, antecedit actum imperatum, & illius est causa, & non est indifferens ad existentiam actus imperati & negationem illius, sed determinatus ad existentiam imperati. Ergo antequam actus imperatus sit determinatus in seipso, est determinatus in causa. Ergo hæc necessitas actus imperati, non est subsequens sed antecedens; quia nascitur ex aliquo antecedenti ipsum actum imperatum, & tenente se, ex parte principii, respectu illius.

RESPONDETUR. Aliud esse, quod actus imperans quantum est de se non sit indifferens ad hoc ut imperet, & aliud est, quod actus imperatus, non sit indifferens ut vi illius imperii fiat. Primum est certum, est enim de essentia imperantis imperare, sed secundum, est falsum, non enim ex eo, quia aliquis non est indifferens ut imperet, jam imperii executio, hoc ipso ponitur, aliàs nulla unquam daretur inobedientia.

Neque valet si dicas, quod hæc imperia sint extrinseca, nam seclusa immanentiâ, tam est distinctus realiter actus imperans ab imperato, ac mandatum ab obedientia.

Directè autem ad Objectionem dici potest quod necessitas actus imperati sit antecedens, sed non necessitate libertatem principii elicitive tollente, eò quod & ipsam causam illius semper auferre possit, & oritur necessitas inibi, ex sola suppositione exercitii libertatis. Unde universaliter causa determinata, quam ponere est in nostra potestate, & positam auferre, & quæ involvit exercitium libertatis, non aufert libertatem.

OBJICI potest 3. ex Ariaga. Totam libertatem salvamus non nisi ex eo, quia potest voluntas si velit retractare actum imperandi, ex quo non aliud sequitur, nisi quod mediatam libertatem habeat actus. Quod ipsum probatur. Illa est mediata libertas, quæ non nisi haberi potest omissione vel positione alijs, quia

† (V)

uni-

universaliter illud mediata dicitur haberi, quod nonnisi per aliud, & mediante altero habetur, si autem actus imperatus nonnisi mediatam libertatem habeat, non contradicimus oppositis, nam etiam oppositi non negant mediatam libertatem actui.

RESPONDETUR. Quod duplici titulo per nos ponatur libertas in actu imperato. Primo quidem antecedenter, nempe quod illud imperium retractare vel ab illo cessare possit voluntas, aliam autem libertatem ponimus quasi formalem, quæ est ex influxu potentia, à nullo, necessario determinata, ad illum actum ponendum, ex quo secundo colligitur, non tantum mediatam, sed etiam immediatam libertatem, convenire actui.

INSTABIS, ad hoc ut dicatur aliquis actus imperatus liber, non sufficit posse omittere, imperium, sed est necesse defacto illud omisisse, quia imperium eo ipso quod existit, debet habere effectum suum formalem, qui est, voluntatem impedire, ne sit carentia actus imperati.

RESPONDETUR. Negando effectum formalem imperii esse, ponere illud impedimentum; cum enim effectus formalis non aliud sit, nisi unita forma subiecto apto, effectus illius imperii formalis, erit esse imperativum ut quo; & certe si effectus formalis imperii est impedire, ne sit carentia actus imperati, sicut impossibile est etiam Divinitus, ut forma careat effectui suo formali, ita impossibile erit, dari carentiam illius impedimenti, atque adeo dari negationem actus imperati. Sed posito etiam quod illius imperii sit effectus formalis impedire ne sit carentia actus imperati, sufficit quod non impediat, ne possit non esse, seu quod non impediat ipsum posse.

DIFFICULTAS III.

De Influxu actus imperantis in imperatum.

Certum est vi actus imperantis sequi imperatum, sed unde hoc oriatur & ex quali influxu explicandum venit.

EXPLICANT primo. Thomistæ & dicunt, quod actus imperans, impingat imperato modum quendam, ratione cuius, constituitur dependens ab imperante.

IMPUGNAT hanc responsionem Oviedo. Modus iste, est superadditus actui imperato, Ergo supponit substantiam actus imperati, tanquam subiectum, Ergo supponit illam jam productam à suis Causis. *Hæc Impugnatio*

NON SATISFACIT. Quia sicut in principiis Oviedo Creatio est modus superadditus rei creatæ, nec tamen supponit positionem creaturæ, sed illam ponit. Motus item localis, non sup-

ponit mobile quia tale, sed facit, & tamen est quid superadditum mobili. Ita & modus ille, superadditus posset esse actui imperato, non tamen supponens illum in esse; unde dicitur modus ille superadditus non quod adveniat actui imperato in esse imperati jam constituto, sed quia est aliquid non identificatum realiter, ipsi actui *Ceterum*

NON SATISFACIT hæc explicatio, quia de illo modo redit difficultas quid sit ille modus superadditus, & quali influxu infuset, ut dicatur ex vi actus imperantis, fieri imperatus. Rursus si nihil obstat, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quæ autem necessitas illius modi.

EXPLICAT secundo Ripalda apud eundem Oviedo, quod influxus ille, nihil aliud sit, quam fieri imperatum actum, movente imperante. Quod ipsum nihil aliud est, quam poni entitatem imperantis, & entitatem imperati, quæ alias posita non fuisset, nisi movisset imperans, ita ut conditionalis hæc verificetur, quod non esset actus imperatus, si non esset imperans.

IMPUGNAT hanc explicationem Oviedo. Quia procedere actum imperatum, verbi gratia, abstinentia, est aliquid modo absolute existens, si est absolute existens, non potest consistere in eventu, qui non existit, sed existeret; sed ille conditionatus eventus non existit cum defacto jam fiat, Ergo in illo conditionato eventu, non potest consistere influxus actus imperantis in imperatum.

RESPONDETUR. Non esse novum res absolute factas, explicare per aliquid conditionatum, sic in principiis nostris, pro statu jam physico adeoque absolute, efficax gratia explicatur per conditionatum eventum, vel per scientiam conditionatam, & omnes effectus & causalitates, explicantur similiter, dum dicitur: Si hoc ponitur, ponitur effectus, si non ponitur, non ponitur etiam effectus. Christum etiam nos redemisse explicare bene possumus, per hoc, quia nisi ille nos redemisset omnes damnati fuisset. Conceptionem item Immaculatam Beatissimæ Virginis explicamus, per negationem maculæ originalis, quam incurrisset si redempta non fuisset & sic de reliquis. *Nihilominus*

NON SATISFACIT hæc explicatio, quia de hoc ipso queritur, quid sit illud, quod nisi poneretur, actus ille imperatus non fieret, quid est ille influxus, & quo sensu dicitur illum actum imperatum, non futurum, vel enim dicitur non futurum simpliciter nisi influeret imperans, & hoc falsum est, quia idem entitative actus amoris qui imperatur, poterat fieri sine imperio. Quod si dicatur non futurum fuisse vi imperii, de hoc ipso queritur, quid sit, illum esse vi imperii?

Ex-

EXPLICAT 3. Oviedo, & dicit, hunc influxum non aliud esse, quam coexistentiam actus imperantis; potentis in actu primo influere in imperatum, & actus imperati, potentis in actu primo ab imperato dependere, & in negatione dependentiæ imperantis ab imperato, eo quod fieri posset, ut hic actus qui modo est imperatus sit imperans. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT, Tum quia de hoc ipso quæritur, quid sit in actu primo posse influere actum imperatum in imperantem. Tum quia, si nescio quid sit dependentia, nescire possum negationem dependentiæ. Tum quia potest esse entitas utriusque actus & coexistentia, & tamen unus non habere formalitatem imperantis, alter formalitatem imperati, idque cum formalitate influxus, quid ergo est ille influxus? Concedo enim interim actum imperantem & imperatum esse coexistentes, sed quæro, quid est unum ita se habere, ut causet alium. Dices, intervenire illic negationem dependentiæ ab imperato: de hac ipsa quæro, in quo stet hæc dependentia.

DICES cum Oviedo posita hac coexistentia imperantis actus independentis ab imperato, & quolibet alio secluso superaddito, recte intelligitur, unum actum ab alio pendere, quia de ratione influxus, non est entitas superaddita, inter principium influens & effectum.

RESPONDETUR. Non esse in præsentia mentem evincere quod ille influxus sit entitas superaddita, sed quærere, quid sit iste influxus & quomodo perficiatur, quid sit item dependentia, cuius negatio, importatur ab imperante, & similia. *Ita id explicatur:*

ASSERO 1. *Quod actus imperans in imperatum non influat per modum principii physici elicitivi.*

RATIO. Quia ex dictis supra repetitò, unus actus, non habet vim, physice elicivam seu productivam, aliis actus.

ASSERO 2. *Influere non posse actum imperantem in imperatum nisi media cognitione.*

RATIO, quia non esset ullum fundamentum, propter quod diceretur voluntas agere propter imperium, si non cognoscitur imperium, cum non feratur in incognitum. Deinde interrogata voluntas, quare agat actum imperatum, deberet respondere, quia volui satisfacere imperio, quod non posset respondere, si non noscitur imperium. Deinde vel mortuo modo imperium illud concurret ad actum imperatum vel vitali. Si vitali modo, cum non concurrat effectivè ut probatum concurrere debet nonnisi prout præsentatum per intellectum, neq; enim superest alius modus vitalis concurrendi. Si autem concurret nonnisi mortuo modo: Ergo poterit voluntas alium modum habere sui motus,

quam objecti propositionem, quæ fiat à cognitione; consequenter ferri potest in incognitum.

DICES. Habitus concurret cum voluntate & species v.g. cum intellectu, neutrum ut cognitum: Ergo & imperium poterit ita concurrere.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia hoc utrumque concurret ex communi suppositione per modum principii effectivi, aut completivi, reducibilis ad causam formalem, ita ut formalitates suas ipse actus sufficienter fortiri possit, à sola potentia, habituque & speciebus. Jam autem actus imperans, non concurret effectivè ad imperatum, formalitatemque imperati non apparet, quomodo à voluntate sola fortiri possit, si imperium non est præcognitum. Unde ulterius dici potest, posito quod species non cognoscatur, ponaturque ab intellectu intellectio, non extrahitur à modo debito sibi operandi potentia intellectiva: si autem voluntas eliceret actum imperatum non præcognoscendo imperium, extraheretur ultra modum agendi suum, cum sit determinata, ut feratur nonnisi in cognitum, adeoque in imperium cognitum. Denique quia nulla est ratio pro antecedenti, militat autem pro consequenti, actus enim imperatus est relativus ad imperantem, hinc si elicitur à voluntate actus imperatus, elicitur tanquam relativus ad imperantem, relativus autem ad imperantem à voluntate elici non potest, quia cum non proponatur voluntati ille actus imperans, quomodo ex præcognitione quam semper voluntas præsupponit, relativum illum actum imperatum, elicere poterit.

ASSERO 3. *Influxum actus imperantis in imperatum hunc esse, elicit imperium voluntas, illud elicited imperium præsentat intellectus voluntati cum sua bonitate, hæc bonitas movet voluntatem ad faciendum id quod fieri illa voluntas vult, quasi dicendo: velis hoc aliud, i.e. actum imperatum, siquidem hoc volui, imperando, non ergo mihi ipsi debeo esse contraria, neque dicere possum, quod nolum, cum voluerim jam, velle. Quia posita representatione actus imperantis, iterato representatur & motivum imperii, à quo si non resiliat voluntas, sequitur actus imperatus. Ubi ulterius vides, quando imperatus non imperatur, sed imperat, convenient illi omnia, quæ immediatè de imperante dicta sunt.*

Hæc explicatio melius probari non potest, nisi rejectione aliarum explicationum. Deinde imperium à motivo nullo alio differt nisi sola intimatione ut ponatur actus, qui appetitur ab imperio. Ergo si ratio movendi debita motivis, rectè salvatur per dictam propositionem honestatis, rectè etiam imperium explicabitur, per intimationis propositionem; Denique hic

† (V) 2 modus

modus explicandi influxum imperantis actus, in actum imperatum convenit omni, soli, & semper imperio.

QVÆSTIO III.

De Libertate Voluntatis.

DE libertate voluntatis nihil hic agendum specialiter occurrit, quod non sit tractatum in aliis materiis; ut in materia de Deo, ubi de prædeterminatione. In materia de Actibus humanis, ubi de eorum proprietate quæ est libertas. Illuc remitto Lectorem: titulus tamen positus est methodi causa.

DISPUTATIO VII.

De Habitibus & Speciebus.

DEfinitivè Habitus ut vult Gabriel in 3. dist. 23. q. 1. est qualitas difficilè mobilis, ex actu vel actibus producta, ad similitudinemque actuum productionem inclinativa. Dividi autem habitus possunt in naturales & supernaturales, & utriq; in habitus intellectus & voluntatis &c. Ea quæ dici deberent de habitu supernaturali, peti debent ex materia de supernaturalitate: hic autem in communi de Habitibus discurretur. Connectitur autem tractatus de Habitibus & Speciebus cum tractatione de intellectu & voluntate, quia sicut voluntas & intellectus sunt principia intima agendi provisa animæ, ita habitus & species, sunt principia agendi ut ita dicam quæ sita.

QUÆSTIO I.

De Subiecto Habituum.

Sicut cognitum prius est volito, sic & de habitibus intellectus prior debet esse tractatio præ tractatione de habitibus voluntatis. Lugo de Incarn. d. 21. sect. 1. Ariaga hic Hurtadus & Ovied. negant dari habitus in intellectu, qui sunt aliquid aliud præter species objectorum intensas perfectiores, vel ut alii loquuntur magis ordinatas & radicas.

DIFFICULTAS I.

An dentur Habitus in intellectu?

DICENDUM est. Præter species intensas ordinatas & radicas, dantur habitus in intellectu, qui sunt qualitas superaddita. Est conclusio utriusq; Suarez, communisq; apud alios.

PROBARI posset ex Recent. Suar. Perseverantibus iisdem speciebus, potest accrescere facilitas. Demus enim quod quis non acquirat

novas species, & nihilominus iteret eandem conclusionem, acquireret facilitatem circa illam, specierumque dispositio in hoc solum consistet, ut minus oblique, sed magis directe, objectum repræsentent.

RESPONDERI posset quod manentibus iisdem in entitate speciebus, sed sola mutatione quoad ordinem, radicationem intensionemq; posita, acquiratur facilitas, negabiturque illam dispositionem & combinationem, non plus facere, quam quod directe repræsentent objectum, sed accrescit illarum intensio, ex qua oritur facilitas.

PROBAT 2. Idem. Intellectus proposito medio dubio & inevidenti, manet dubius & indeterminatus, quam indeterminatorem, non tollet species, semper enim repræsentant objectum eodem modo, & indeterminatio eadem est, positis illis speciebus, & post illas.

RESPONDERI posset. Quod eodem quidem modo quoad substantiam repræsentetur objectum semper per illas species, sed non eodem modo quoad modum proponendi: Cujus alias habetur ratione majoris intensionis, radicationis, coordinationis, &c. *Hinc aliter*

PROBATUR 3. Conclusio. Diversa est difficultas, quam tollere debent species ordinatæ & intensæ, & diversa, quæ se tenet ex parte ipsius potentie intellectivæ. Ergo si nihil obsit, debent dari diversa principia facilitativa, & amotiva illarum difficultatum. Sed hæc facilitas quæ se tenet ex parte potentie intellectivæ, non alia erit nisi habitus: Ergo dabuntur intellectuales habitus. Ant. prob. Diversa est difficultas quam sentit Cytharædus, ut imprimat sibi species cantus, quem in cythara exprimere vult, & diversa est difficultas, quam sentit in ipsis digitis movendis. Ergo etiam difficultas erit diversa, quam sentit intellectus in modo movendi se ad suos actus, à difficultate, quæ est habendi species intensas & ordinatas, eorum, quibus illo modo assentiri deberet, non enim minus